

Q. D. B. V. 1, 478. 8
THESES JURIDICÆ INAUGURALES
DE

2029

OBLIGATIO- NIBUS EX FACTO ALIENO

1724, 3

Quas

P R A E S I D E

DEO Ter Optimo Maximo

Decreto atque Autoritate
Magnifici & Amplissimi JCtorum
Ordinis in Regia Argentoratensium
Universitate

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure Honores & Privilegia

Doctoralia legitime consequendi

Publico Eruditorum Examini

submittit

ELIAS VEIEL, Ulmensis.

d. VII. Decembr. A. O. R. M DCC XXIV-

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.

D E O
P A T R I A E
P A R E N T I B U S
atque
P A T R O N I S
S A C R U M.



I.

 Bligatio ex facto alieno est vinculum, quo actiones aliorum nobis vel ex Legis dispositione vel ex libera voluntate imputantur, ad id, ut ad aliquid praestandum obstringant; fit autem ista imputatio actionis alienæ vel ex gratia, vel ex debito; ex gratia, quando actioni à tertio patratae in gratiam istius, cui eadem imputatur, plures effectus tribuuntur, quam alias ex ipsa actione pervenire poterant; quod maxime tunc obtinet, si filiis ob merita parentum, quibus plures effectus adscribuntur, magna sub hoc titulo conferuntur præmia. Sed in simul exinde facile est colligere hanc imputationem in favorabilibus tantum, non item in odiosis locum habere; hinc delictum paternum non causa, bene tamen occasio esse potest, quo minus bona patris ad filios transeant, quia non absolute & simpliciter, sed tantum sub hac lege, si eadem à parentibus ipsis fuerint tradita, vel relata, ad filios pertinebant, sed hæc imputationis significatio non est hujus loci.

Imputatio vero actionis alienæ ex debito est, quando ab iis, quorum interest, actionem fieri vel

non fieri, effectus isti actioni assignati ob ejus præsum tam voluntatem adscribuntur, ita ut si ex L. di-
spositione actioni illi sit constitutum præmium,
etiam hoc in eum redundet, si vero poena, &
hæc ipsum maneat, & hæc est illa, quam diximus,
Legalis Imputatio, a qua multum differt ex libera vo-
luntate profecta, qua agens actionem suam quam alias
omittere poterat, in alterius usum & gratiam su-
ceptam illi imputare dicuntur, ad hoc, ut iste pro fa-
cti conditione sit obstrictus; requiritur tamen ad
hanc obligationem inducendam, in agente inten-
tio atque voluntas alteri aliquid boni actione sua con-
ciliandi; in tertio cui illa actio debet imputari, vo-
luntas expressa, vel etiam præsumta, ab isto illud
bonum accipiendi; hinc invito factum alterius ob-
trudi nequit, nec actio ab agente in alterius dam-
num directa forte fortuna in ejus commodum ver-
gens imputari debet.

III.

His fundamenti loco præsuppositis, jam inqui-
rendum est, quando actiones alienæ tertio possint im-
putari; & expeditum est, quod tunc semper valeat
imputatio, si iste tertius ad actionem ab alio patra-
tam, aliquo modo efficaciter vel agendo aliquid vel
omittendo concurrit, & fieri eadem solet vel ita,
ut ei, qui immediate actionem patravit, illa penitus
non imputetur, sed alteri, qui eandem imperavit;
vel ut agenti cum mandante vel non prohibeate si-
mul imputetur. Hoc autem rursus variis modis fieri
potest; vel enim mandans causa principalis actionis
est, patrator minus principalis, vel uterque in pari-
teatu est constitutus, vel denique mandans minus

pri-

principalis, patrator principalis causa est; pro diversitate itaque harum circumstantiarum diversa quoque est imputatio, & tertius ille vel plus vel minus tenetur.

IV.

Iste autem casus, quo quis ex alieno facto solum & unice obligatur ita, ut agens plane non teneatur, proponi solet à DDbus tali modo, ut contingat tunc; quando imperans subdito suo executionem cuiusdam actionis injustæ quidem, sed cuius in justitia non est manifesta, sub maxima poenæ comminatione injungit; hic subditus tantum instar instrumenti physici se habet, per quod imperans actiones suas exercet; hinc, sicuti securi non imputatur, si cædens ex incuria eadem hominem vulneret, sed contra ipsum cædenter L. Aquilia agi potest; ita & hic Imperans tanquam causâ moralis consideranda, cui effectus adscribendus, non illi, qui ministrium corporis sui tantum præbuit.

V.

Sed quandoq; hoc saltem contingit; istud autē særpius fieri assolet, ut agenti & mandanti simul imputetur actio, & quidem primū, ut ordine progrediamur, si mandans causa principalis actionis est, patrator minus principalis; quod eo in casu accidere solet, si quis iubet, aliquid fieri ab eo, qui ejus imperio subiectus, non quidem sub poenæ comminatione, uti prius diximus

A 3

mus, sed tantum per simplex mandatum, in quo ut privatus vult considerari; cui proxime accedit iste, qui quidem Imperium in agentem non habet, auctoritate tamen sua, cui non facile est resistere, aliquem ad patrandum aliquid permovet; item, qui ex obligatione perfecta aliquid debebat prohibere, & non prohibuit; deinde simul imputatur actio, si uterque in reatu pari; Par autem fere culpa est illius, qui mandat, aut alios ad patrandum facinus conduceit, nec non ejus, qui ope & consilio adjuvat, item ejus, qui injuriam patienti subvenire debebat, & poterat, & id non fecit.

VI,

Denique imputatio facti alieni etiam alia est, si mandans minus principalis causa, patrator vel principalis est; hoc pertinent ii, qui consilium dant, & quidem speciale, qui laudant, & assentantur ante patratum facinus, ita tamen, ut ad suscipiendum tale facinus eorum consilium & laus aliquod momentum attulerit, quo consilio reatus tantum communicatur, non autem à patrante in consulentem plane devolvitur, nisi hic peculiariter ad eventum præstatum sit obligatus. Referri etiam in hunc censum possunt, qui exemplo suo alios accendunt ad peccatum, quod citra istud omisssi erant.

Hæc autem sunt, quæ jam præmonenda esse duximus, ut ea, quæ sequuntur, eo melius, quatenus cum æquitate naturali cohærent, intelligi possiat, quæ ex Puffendorfii lib. I. cap. V. §. 14, & cap. IX. potissimum, cuius doctrina, uti accurata satis ira clarior aliorum doctrina videbatur, desumenda esse duximus.

VII.

VII.

Post principia naturalia jam esset ut ad jus Gentium descenderemus, atque quænam ex eo etiam oriatur obligatio facti alieni, explicaremus; atque hoc referri meretur illa quæstio, an se & quatenus bona subditorum corporalia & incorporalia pro debitis à Civitate vel Principe contractis teneantur. Fundamentum hujus obligationis, si investigare vellemus, recurrendum nobis esset ad pactum tacita gentium voluntate receptum & introductum, quo subjecti pro salute Reip. debeant esse obligati ad id, quod ab Imperante alias esset præstandum, ab eodem vero vel plane non vel difficulter exigi potest. Ratio hujus pacti in æquitate naturali consistit, qua vult, ut privatis commodis anterferat nr salus publica, eademque etiam cum damno singulorum subditorum urgente necessitate debeat & possit promoveri; quod si applicemus ad nostrum casum, omnino talis necessitas adfuisse videtur, cum illi, quibus Imperans est obligatus, suum tam facile ab Ipsi consequi non possint, quod Ipsi bona raro quin nunquam in illorum manus veniant; qua occasione jus retentionis exercere possint, siquidem alia fere via solutionem ab ipso Imperante consequendi non adesse videtur; certe, ne creditoribus illis licentia quid in perniciem Reipubl. moriendi & viâ facti atque processum ab executione inchoandi vel bellum aut injurias inferendi facultas concedatur, tale remedium fuit eligendum, quo & tale damnum Reip. metuendum avertetur, & creditoribus seu illis, quibus aliquid præstandum, satisfactio

factio tamen fieret; quod vero faciliori modo contingere haud potest, quam si bona subditorum inde obligentur, idque capropter, uti Gronovius ad H. Grotium Libr. III. cap. 2. §. II. notat, quia eorum bona saepius in alienum territorium & sub alienam jurisdictionem venire solent, quam Imperantium, cum per maria terraque undique negotientur idque eo magis, cum id, quod hic quidam civium pro salute Reip. & ad tollendam Principis obligationem solvit, à ceteris suis civibus facile rursus consequi possit, ut inde indemnatis fere servetur, in quo iterum melior eorum quam exterorum conditio est, quibus tam facile subveniri alias non solet, & fingamus licet aliquid damni exinde civibus obtingere, hoc tamen facile resarciri potest in simili casu quo cives alium Imperantem sibi habent obligatum, tunc enim rursus populum convenire possunt ex hoc principio, Quod quisque juris in alterum statuit, ut ipse eodem jure utatur. Limites in quantum teneantur cives definiri tam accurate nequeunt, nisi quod ex debito ob impensas utiles vel necessarias contracto semper obligentur, & hic perpetuo præsumtio pro Principe, stet, quod utiliter sit impensum, nisi contrarium evidenter possit probari.

Verum cum hæ controversiae separataru requirent & ampliorem tractationem, quam ut vel temporis limites, vel instituti ratio, quod eo tendit, ut profectuum in jure Civili potissimum rationem reddam, eam haud admittat, ad id potius progredior, ut quæ obligaciones & actiones ex facto alieno à LL. Romanis Ger. manicisque receptæ sint, deducam.

VIII.

Imputantur autem de Jure Civili nobis facta aliena, quatenus eadem oriuntur vel ex conventione & contractibus, vel ex delictis; primo itaque visuri sumus quomodo facta seu actiones alienae ex contractibus descendentes nobis imputentur; inde quæ ex delicto alieno contra nos competant actiones, examinatur; ita tamen, ut solidam & undiquaque perfectam hujus materiae evolutionem & explicationem ob rationem temporis habendam & deficientem librorum apparatus, præsertim imbecillitatis nostræ conscientiæ promittere non audeamus, sed tantum, quæ plenius forte dici possint, brevibus indicemus, plura benevolo publicoque examini relixturi, quæ ad majorem Thesum nostrarum illustrationem facere posserunt.

IX.

Acturi itaque jam de actionibus illis, quæ ex contractu alterius contra alios non contrahentes dantur, fundamentum hujus imputationis reperiemus esse vel consensum eorum generalem, prout hoc accidit in actione exercitoria & institutoria, vel specialem, quod fit in actione quod iussu vel permissione eorundem generalem, quo pertinet actio de peculio, vel specialem, huc spectat actio tributoria; vel utilitatem ex contractu perceptam, quod continet in actione de in rem verso, vel æquitatem, quo refer-

B

ferenda R. Rhodia de jactu, vel denique voluntateim
præsumtam, quod fit præcipue in actione de rece-
ptis & funeraria, quas omnes jam ordine perlustra-
bimus.

X.

Primam actionem nimirum exercitoriam quod
attinet, constat, dari eandem contra exercitorem ex
contractu magistri navis ab ipso præpositi. In ratio-
nem dispositionis hujus legalis si inquirere licet, Ro-
mani LLatores ad utilitatem Reip. ejusdemque sta-
tum tuendum augendumque respexisse nobis viden-
tur, in quo non possumus non eorum prudentiam
deprædicare; siquidem omnino hæc veritas experi-
entia & exemplis sat abunde comprobari potest, quam
multum faciat ad conservandam Reip. salutem, si
commercialia præsertim maritima florent, eorum
demque cursus quam maxime promoveatur atque
provehatur; quod tamen facilius fieri non potest,
quam si sint, qui semper navim exerceant i. e. uti
Vlpianus in L. i. §. 15. ff. h. 2. tales homines describit,
qui omnes reditus & lucra ex navi percipiunt, seu
postea sint ipsi earum domini, seu easdem per aver-
sionem conduxerint.

XI.

Hi Exercitores si non per se, sed alium navi præ-
positum, qui magister *Schiffmeister* dicitur navem suaq;
negotia maritima & quæstum exercent ex contractu
illo-

illorum iis, qui cum iisdem contraxerunt, obligantur. Licet enim stricto jure alteris per alterum obligatio neque acquiri neque contra eundem induci possit; hoc tamen etiam assertum suas exceptiones & limitationes patitur; uti in casu hocce, ubi quoad effectum non tam attenditur, quis contractum inierit, sed tantum cuius intuitu & nomine iste sit initus, &, cum hic solum fere exercentis negotium atque utilitas veretur, ipsi etiam principaliter imputatur, quicquid ministriorum cum contrahentibus egerint.

XII.

Dixi: *principaliter imputari Exercitori contractum magistri navis; ita scilicet, ut in eum redunder effectus actionis; hoc autem eo pertinet, ne nobis citra intentionem nostram obtrudatur quedam sententia, quasi statueremus, transferri actionem à Magistro in Exercitore absolute & simpliciter uti Simon van Leuven cens. for. 4. 3. 10. cum Regnero in disp. ad h. t. præsertim, quod mores hodiernos attinet, contendere voluit; sed quemadmodum jure civili contrahentibus electio erat concessa, utrum Exercitorem an Magistrum convenire velint per L. 1. §. 17. ff. b. t. ita huic dispositioni legis tamdiu standum esse arbitramur, donec contrarii statuti observantia probetur; dissidentes vero doctores de jure suarum provinciarum singulari loquuntur, quod jus commune facere aut eidem immutare haud valet; præsertim cum pro nostra opinione tam ipsa æquitas militet, quæ navingantium utilitati consulit, ne in plures distingantur adversarios, & suus magi-*

stro contra exercitorem regressus salvus sit, quam ratio juris & natura cujusque contractus id postulat, quæ suam præcise personam obstringit, ita, ut postquam eadem semel ipsius obligatione est affecta, se ab eadem nullo modo liberare possit, sed perpetuo obligata maneat vid. L. 13. C. sicert. pet. & L. 7. C. Quod cum eo &c. Verum itaque est quod Bachor Disp. VIII. de act. §. 10. dixit: ex ratione juris Civilis obligari magistrum, sed ex ratione juris prætori etiam præponentem seu exercitorem.

XIII.

Ex dictis facile dijudicatu est, quid habendum sit de illa cognata quæstione, nimirum an & quatenus mandans ex mandatarii contractu obligetur: fundamentum enim decisionis præbent modo allegatae LL. principaliter scil. tenetur talis procurator seu mandatarius, respiciunt enim dictæ LL. ad solam personam contrahentem, adeo, ut Dominus, cuius negotia geruntur, stricto jure non obligetur, nisi vel quid in ejus rem versum sit, vel ejus voluntas & ratihabitio de se obligando in ipso negotio supervenerit, tunc enim ex æquitate contra mandantem datur actio utilis institoria vel utilis ad exemplum institoriae idque propter L. 13. §. 25. de act. Empl. l. 35. pr. de negot. gesl. quod etiam cum moribus nostris Germanicis magis convenit, qui ceteris paribus præ Jure Civili semper observandi, si vero mandatarius nuncii solum vice fungatur, & nudum tantum ministerium præbeat, & tantum contrahatur animo geren-

gerendi negotia ejus, qui mandaverat, tunc mandatarius plane non, sed solus mandans obligatur; proti talis casus habetur in l. 6. §. 1. ff. d. negot. ges. ubi dicitur: si quis meo procuratori mei contemplatione pecuniam mutuam dederit, tunc adversus mandatarium nullam, sed tantum adversus eum, cui pecunia data, dari actionem; hoc eum in finem notandum esse duxi; ne, si statuamus, adversus præponentem solum non etiam magistrum dari actionem, quidam forte contra magistrum agens ab ipso exceptio ne non competentis contra se actionis repelli possit.

XIV.

Obligatur autem exercitor non tantum ex eo quod magister ipse sed & omni quod ab eo ignorante quin in vito exercitore substitutus egit & contraxit ob singularem mercaturæ favorem, ne ejusdem cursus sistatur & alioquin contrahentes cum magistro decipientur, & si plures æqualiter & simpliciter non distinctis officiis non conjunctim cum clausula ne quid alter sine altero gesat præpositi sint, tunc ex singulorum contractu quia in solidum dati censemur hæc actio datur, uti contra, si unus magister à pluribus exercitoribus sit præpositus unusquisque eorum in solidum tenetur, ita tamen, ut ille, qui totum solidum partem à ceteris societatis judicio consequi posfir, quæ obligatio in solidum nec juri naturali nec aequitati repugnat, sibi enim imputent, qui talis societatem inierunt cuius tantus in jure favor quantus commerciorum non est, hinc potius ejus ra-

tio in utilitate navigantium seu vectorum & mercatorum querenda, quam Romanorum prudentes semper in tali casu in primis observarunt; interim tamen etiam contraria sententia moribus Teutonicis & praxi legibusque nauticis approbata neque principiis juris Romani neque æquitati adversatur, cum enim jus in re communi præsertim nautica à singulis fociis non in solidum sed pro rata tantum possideatur licet indivisim in se, quod in effectu tamen & ratione commodorum & damnorum ad singulos ex sociis pertinentium est divisum, hinc nec obligatio in solidum unicuius adjudicari potuit, sed & eandem pro rata dividi æquius visum fuit, conf. Schilter. *Exercit.*
ad ff. b. 1.

XV.

Limites obligationis, quatenus exercitor teneatur, ex lege præpositionis cognosci & possunt & debent, quos magister in omnibus contractibus exacte observare & ad eosdem se conformare debet, si enim illos fuerit transgressus, ipse hoc sibi, non exercitorum imputet, ut etiam ex hac ratione contra exercitorem non datur actio ex magistri delicto, quia ad contrahendum quidem, non vero ad delinquendum est præpositus.

XVI.

Ex eodem fundamento deducitur obligatio actionis institoriae præponenti imputanda, cum enim præ-

po-

ponens ex actu institorum lucrum commodumque sentiat, æquum etiam prætori visum fuit uti dicit VI-
pianus in L. i. pr. ff. d. Instit. act. eundem etiam ex
contractibus illorum obligari & conveniri; requiri-
tur autem ad hanc obligationem inducendam, ut ta-
lis institutor negotiationis eidam universitati sit præpo-
sus, cui enim singulare tantum negotium est com-
missum vel qui ad certam solummodo negotiationis
terrestris speciem est constitutus, is non tam institutor
quam procurator, sive sed ex æquitate tantum quasi
institutor dici meretur, ut hujus rei exemplum habe-
mus in L. pen. pr. ff. b. t. ubi in eum qui mutuis pe-
niis accipiendis procuratorem præposuit utilis ad ex-
emplum institutoriae datur actio, nèque hoc sufficit,
sed exigitur insuper & amplius, ut quis negotiationi
quæstuariae, quæ circa vendendum & emendum est
occupata, sit præpositus idque propter L. 16. ff. b. t. ubi
dominum ex contractu villici non teneri expresse sta-
tuitur ex hac ratione quod is tantum susceptor fru-
ctuum sit, si vero idem & mercibus distrahendis sit
præpositus tunc ex æquitate & ad exemplum insti-
tutoriae actionem contra dominum competere. Con-
veniri autem potest dominus non tantum si expressa
voluntate institutorem constituerit, sed sufficit quan-
doque etiam in hunc finem voluntas tacita, veluti
si alium aliquandiu in rebus suis emendo & venden-
do negotiari passus fuerit, ut colligitur ex L. 8. ff.
Quod cum eo. L. 5. §. 9. d. Instit. act. l. i. §. 5. de exercit.
act. ex qua tamen lege ultima etiam hoc patet, facilius
hanc actionem contra exercitorem quam cum qui in-
stitutorem præposuit ob majorem navigantium de jure
Roma.

Romano favorem, majorem inde Reip. utilitatem; minorem autem reliqua negotiationis, & minorem eriam in quibusdam prater conventa obligationem.
arg. l. i. pr. ff. d. exerc. act.

XVII.

Ea tamen hujus obligationis vis est, ut præponens ob consensum ex ipso præpositionis facto à lege præsumtū ex contractu institorū suorum omnibus illis qui cum institoribus sunt negotiati in solidū teneatur; idē tamen & hic obtinet, quod paulo ante de magistro navi diximus, quod scilicet & ipse institor à contrahendibus si velint conveniri possit, l. f. ff. b. 1. idque eo magis cum hodie consuetudo institutorum esse dicatur in contractibus non exprimere qualitatem suam institoriam, sed quia sunt instar mandatariorum actione mandati à præponentibus, quod eorum nomine solverunt, repetunt. Durat autem institutorum obligatio quamdiu durat eorum præpositio, & sicuti institutorum constitutio est facti, ita etiam illorum remotio facti est, ideoque probanda & non præsumitur, ex quo patet ratio dispositionis illius quæ habetur in l. 17. §. 2. & 3. d. act. Instit. quod scilicet officium institoris nec morte præponentis finiatur, idque adeo, ut non imputandum sit ei, qui sciens dominum decepsisse cum institore contraxit; id cum Anton. Fabro paradoxon & in congruat videretur, haud dubitavit ad meliorem, uti quidem ipsi visum fuit, legis intellectum pro vocabulo sciens substituere nesciens (oblitus forte, æque crimen à quibusdam haberi legem juris

Juris Civilis interpolare atque sic plus ipso SANCTO Triboniano sapere velle, ac textum juris divini corrumperem, sed mclius antiquam lectionem retineri ex supra deducto fundamento statuimus, et si enim scivit contrahens præponentem esse mortuum, si vero institutor negotiationem tam éadhuc exerceat, propter utilitatem publicam in ejus conditionem amplius non debet inquirere, satis enim ipsi est, quod non sit remotus, & hoc valet sive adita sit hæreditas sive non, posteriori enim casu imputet sibi hæres, quod non ciuitas hæreditatem adierit & institutorem removerit, priori vero si adiit hæreditatem nec institutorem removit, eo ipso tacite confirmasse censetur.

XVIII.

Idem quod diximus amplius ad eum quod casum extenditur, si impubes suo patri hæres extitit ubi ex contractu institutoris à tutoribus non remoti eundem teneri & quidem in solidum claris verbis dispositum, in l. II. & d.l. 17. §. 2. h. t. quod singulariter plane est, constat enim pupillum alias nec naturaliter, i. e. cum efficacia obligari, nisi locupletior exinde factus sit, hic autem cum non in quantum locupletior factus sed in solidum obstrigatur, videmus, salutem publicam & conservationem Reip. privatorum etiam eorum, quorum alias maximus in jure favor est, præferri, huic tamen adhuc pupillo remedium superest, quod tutorem suum actione tutelæ convenire possit ob culpam, quam in non remoto institutore cuius opera tamen amplius uti noluit vel

C

non

non debuit, admisit; qui ad resarcendum damnum
ipsi est obstrictus. Ex iis quæ dicta sunt, id jam et-
iam facile evinci potest, quænam etiam in hac par-
te intercedat differentia inter institorem & simpli-
cem procuratorem seu mandatarium, cuius po-
testas morte mandantis, quia etiam tum velle desi-
nit, omnino solvit & exspirat, & utiliter tantum
seu ex æquitate datur actio, si cum mandatario man-
dantis mortem ignorantem est contractum: secus in-
stitutore, ex cuius contractu præponens contrahenti-
bus ejus mortem scientibus, licet tamen uti dictum
in solidum tenetur, idque quia hic publica, illic ve-
ro privata tantum utilitas versatur.

XIX.

In præcedentibus fere omnibus convenient' ma-
gister atque institutor, sed de iis quæ sequuntur du-
bitant Dd, an, sicuti magister navis ita etiam institu-
tor ignorante præponente alium cum effectu, ut
exinde obligetur præponens, substituere possit? ra-
tionem dubitandi suppeditarunt verba, l. i. §. 5. ff. d.
exerc. act. ubi dicitur, substitutionem tales igno-
rante domino factam facilius in magistro, quam in-
stitutore, admittendam esse propter utilitatem; qui sic
substituere licitum esse afferunt, pro stabilienda sua
sententia id afferunt, quod comparatio inter id, quod
facile & illud quod difficulter fit, satis innuat, quan-
doque tamen, licet difficilius, hanc substitutionem
valere. Quicquid de vi hujus argumenti sit, quod
alij admittere nolunt præsertim Theologi, è quibus

MAT.

hac de re ita loquitur; comparativus interdum non tam minuit alteri aliquam qualitatem & alteri auget, quam simpliciter totam ab altero in alterum transfert, hoc tamen non obstante, sententia hæc substitutionem licitam esse afferentium praxi & usu fori est approbata; & quidem non amplius tam difficulter, cum mercatura terrestris seu commercia magis jam in terris nostris Germanicis frequentata sint, & ad communem utilitatem plurimum faciant; hinc cessante hac dubitandi ratione in lege allegata eadem hac in re institutor, qua magister, potestate gaudebit.

XX.

Vidimus haec tenus, quomodo & quatenus præponens ex institutoris contractu teneatur ei, qui cum illo contraxit; sed id jam in disquisitionem venit, an etiam vice versa contrahens cum institutore obligetur præponenti, atque sic contra eundem actio quoque concedatur? quæ quæstio primum neganda nobis videtur, ex hac quidem ratione, quod specialis hæc sit legis dispositio ob utilitatem publicam à Prætore sic introducta, atque ita exceptio & quasi quædam exemptio ab ordinaria lege; quæ autem cum strictæ sit interpretationis, ultra mentem Legislatoris non est extendenda; accedit, quod diversa in contrahente & præponente subsit ratio & fundamentum imputandi; quoniam quidem est quod imputetur domino, vel quod non satis cir-

C 2

cum

cum postum in eligendo & fideli & prudenti instituto-
re se præbuerit, vel, quod non potius sibi ipsi vigi-
laverit, vel quod ejusmodi institorem lucri tantum
percipiendo gratia præposuerit; cum tamen alter cer-
tet de damno vitando cuius major inde habenda
ratio; vel denique, quod ab ipso præpositus ipsi ad
rationes administrationis suæ reddendas teneatur,
cum contra nulla appareat imputationis cauſa in eo,
quo cum contraxit institutor; cum bona fide versatus
sit in emendis vendendisque iis rebus, quæ necessa-
rio & quotidiano hominibus usui esse solent, & ob
ipsam hanc rationem, an institutor suo vel alieno no-
mine contrahat cum multis & molestis forte amba-
gibus inquirere nec potuit nec etiam debuit; publice
enim interest, quæ ad vitam conservandam, vel aliam
necessitatem pertinent, facile comparari posse.

XXI.

Ex hoc colligi jam poterit ratio & æquitas *Le-*
gis I pr. ff. d. Instut. Act. ubi postquam Prætor, Domi-
num seu præponentem ex contractu institoris obliga-
tum esse, jure statuit, ibidem subjecit; sed non idem
facit scil. Prætor circa eum qui institorem præposuit,
cum qua congruit *I. 1. §. 18 ff. de exerc. act.* ubi na-
vem exercenti contra eum, qui cum magistro con-
traxit, nulla conceditur à Prætore actio; hac ratione
subjecta, quod non eodem auxilio indigeat; sed si-
cuti nulla positio in jure nostro datur tam generalis,
ut in certis casibus non restringatur; ita etiam hic in
d. I. adjecta statim est quædam limitatio scil. quod
tamen

tamen magistratus in speciali casu extra ordinem lo-
leant juvare exercitores ex contractu magistri con-
ventos contra eos, qui cum magistro contraxerunt,
& sic etiam Marcelli sententia præponenti actionem
contra negotiantes concedens quæ in d. l. i. ff. d. Inst.
act. est proposita, est explicanda & accipienda cum
ista limitatione, quæ habetur in l. 2. Cod. d. t. nimi-
rum, si modo præponens aliter rem suam servare non
possit, forte, quia discessit vel non solvendo factus est,
atque ita per modum restitutionis; in quo rursus dif-
fert institutor à procuratore; ille enim, qui cum hoc
contraxit, non æque à mandante conveniri potest;
cum hic ratio quasi publicæ utilitatis cesseret, & jure
Romano alteri per alterum, scilicet hominem libe-
rum, obligationem acquiri non posse, certum sit,
sed cessio actionis à parte procuratoris mandan-
ti facienda requiratur, seu quod idem est, ut
mandans procurator sive rem suam constituatur l. 8.
§. 5. l. 43. 45. pr. & §. 5. ff. mandat. quæ tamen subtili-
tas jure Germanico vix ac ne' vix quidem attenditur,
& per expressum mandatum alter mandans scil. tam
obligatur quam alios cum mandatario contrahentes
sibi obligat; idque ideo, quia ipse reliquis recte se
habentibus principalis actionis causa est habenda,
cui etiam inde effectus ejusdem imputandus venit; uti
hoc supra ex juris naturalis fundamentis deduximus.

X XII.

Ab his transimus ad ista facta aliena, quæ ob con-
currentem consensum specialem alios non contra-
hen-
C 3

hentes obligant; quo pertinet actio quod jussu, quando nimur dominus vel pater ex contractu filij vel servi ob intervenientem jussum suum in solidum tenetur, cuius rei Ulpianus in l. i. pr. ff. *Quod jussu*, hanc rationem reddit, quod quodammodo cum eo contrahatur, qui jubet; filius enim vel servus passive tantum & physice se habet, jussum cui resisti non potest rite exequendo & contractum nomine patris celebrando & hinc non peculiostenus, ne minimum enim quidem de suo solvere obstat, sed in solidum pater hic obligatus manet; interim id negari nequit, posse tamen filium familias directa actione ex illo, quem iniit, contractu cum effectu conveniri; ita tamen, ut ex re patris, quam administravit, non ut ex sua creditoribus satisfacit. *Quod tamen omnino limitandum in casu l. 4.* *Quod cum eo*, ubi, licet conventus sit filius familias ex contractu jussu patris gesto, tamen contra eundem denegatur actio, postquam scilicet hereditate paterna se abstinuit, quod ipse non amplius sub potestate paterna, quæ morte finitur, sit constitutus; jussus vero quod tralatitij juris esse constat, ultra eos, qui in iubentium sunt potestate, non extenditur, nec cum haeres patris non extitit, ejus factum praestare tenetur. De dominis quatenus obligentur ex contractu servorum non est, quod nultum dicamus, cum servitus inter Christianos plane ignoretur; hineque usum hujus actionis quoad servos in nostro foro nullum esse & omnino cessare, libentes confitemur; de filiis fam. tamen certum est quod ex jussu patris contrahentes eundem etiam, & ipse rursus illis, qui cum

cum filio contraxerunt, uti dictum, obligetur, quod & hodie in filiis mercatorum facile est cernere, ubi praxis hujus actionis adhuc se exerit; si vero filij suo nomine contrahant, ipsi etiam suo nomine ut patres fam. obligantur, l. 39. ff. de O. & A. executio-
ne in tempus soluta patriæ potestatis dilata.

XXIII,

Licet vero actio quod jussu directa solum ex contractu servi vel filii fam. in potestate nostra existentium concedatur, utilis tamen datur etiam ex contractu liberi hominis jussu alterius ejusdem negotia gerentis, qua obligatur dominus, cuius negotia geruntur, omnibus illis, qui cum ejus negotiorum gestore contraxerunt; & idem hoc est, quod supra diximus, quando quis jubet aliquid fieri ab eo qui ejus Imperio est subjectus; quod maxime tum contingere potest, si v. gr. imperans subditu suo emptionem venditionemve alicujus rei cum imperio injungat; quæ tamen actio cum illa mandati fere in omnibus convenient, nisi quod hic jubenti magis imputari possit, cum alter seu subditus jussum superioris exequi jure perfecto necessario te-
neatur, & in his personis jussus proprio loquendo locum habet, qui sub aliorum sunt imperio, in aliis vero qui sibi invicem tali vinculo obstricti non sunt, obtinet mandatum, quippe quorum arbitrio est relictum, mandatum suscipere vel non, imo etiam, si jam susceptum sit tamen liberum adhuc est mandatario, illud exequi, vel non, modo hoc poste-

posteriori casu si coepit mandantis interesse , illud praestet , si nullum ejusdem interesse concurrat , nulla etiam contra mandatarium datur actio ; quod se-
cūs in eo cui jussum quid est , qui etiam solum propter obsequium non præstitum tenetur.

XXIV.

Non solum autem propter intercedentem alterius consensum , sed etiam ob permissionem eamque vel generalem vel specialem alter ex alterius facto & contractu obligatur ; & quidem permisso , de qua primum diximus , generalis maxime se exerit in actione de peculio . Verum , cum rarus sit hujus Actionis hodie usus , non est , ut huic materiae amplius immoremur ; vid . Schilt . Exerc . ad ff . b . t . § . 85 .

XXV.

Specialis etiam permisso facit , hactenus enim de generali egimus , ut actio ex alieno contractu resultans alteri imputetur quod maxime fit in actione tributaria , quæ priori de peculio valde affinis , quæ pater ex contractu filii ipso sciente & patiente de mercibus peculiaribus negotiantis obligatur ad dolosam & in æqualem mercium distributionem in concursu creditorum factam corrigendam & æqualiter faciendam ; usum quidem hodiernum huic actioni dengant DD. dicentes filios negotiantes pro emancipatis haberi sed sola negotiatio non est modus solvenda patriæ potestatis , hinc probabilior nobis videtur sen-

ten-

tentia afferentium actionem hanc etiamnum hodie
institui posse, tunc scilicet si pater in convictu reti-
buerit filium, eidemque certam pecuniam ad nego-
tiandum tradiderit, atqne concederit, sed concursu
facto eandem male & inique inter creditores distri-
buerit.

XXVI.

Venimus jam ad actionem illam generalem con-
tra alterum ex alieno gesto propter perceptam utili-
tatem competentem, quæ dicitur de in rem verso, qua
pater obligatur ex contractu filii quatenus ex eo ali-
quid in rem & utilitatem patris verum, fundamenti
loco hac actio habet illam juris rationem & æquita-
tem, qua nemo cum alterius damno locupletari de-
bere dicitur L. 206. ff. de R. I. quæ versio & utilitas
consistere potest non tantum in melioratione alicujus
rei, sed & ejusdem conservatione quod Vlpianus in l. 3.
§. 2. ff. b. sic exprimit, quod utiliter verum videatur
quotiescumq; quis aliquid consumsif, ut aut meliorem
rem pater haberet aut non deteriorem idq; etiam sua
non caret ratione, siquidem compertum habemus ma-
iores sumtus, majoremque aliquando prudentiam in
rebus conservandis quā comparandis requiri, secundū
illud: non minor est virtus quam querere parta tu-
eri, & hoc in tantum verum est, ut utilitas etiam pro-
mota videatur licet eadem in effectu sequuta non sit,
negotiumq; diversum habuerit exitum, sufficit enim
semel & quoad intentionem negotium gerentis istud
in alterius utilitatem esse verum, & hinc patet ratio

D

legis

legis 3. §. 6. & 7. b. 1. quod hæc actio etiam tum competet, et si v. g. frumentum comparatum casu perierit, vel si luxuria materiam volenti eum in finem mutuū à mandatario ipsius fuerit acceptum, quia volenti nulla fit in iuria nec damnum. Ex his autem inferre quis posset, non differre hanc actionem ab illa negotiorum gestorum, sed appareat statim ratio differentiæ ex eo, quod hic is gerere dicatur qui in potestate nostra est, utilis tamen, si liber homo negotia nostra utiliter gessit, etiam datur, sed tamen cum hoc discrimine, ut liber homo talis sit qui ex potestate nostra exit v. gr. si filius est emancipatus vel separatam instituit oeconomicam, quamvis tunc in effectu cum negotiorum gestorum actione conveniat, & sicuti olim hæc actio dabatur domino ex contractu servi, si quid utiliter viderum fuit, ita etiam hodie utiliter eadem competit dominis ex contractu suorum famulorum liberorum quidem hominum, operas tamen suas pro mercede locantium.

XXVII.

Quæ actiones recensitæ omnes, quod sub fine ad huc monendum ducimus, species actionum separatae non sunt, sed tantum adjectitiae qualitatis, ita tamen ut propter novas easque proprias qualitates superadditas & consensum maxime presumunt novas quoque & efficaces actiones ex æquitate prætoria concedant adversus illos, qui alias ex mera juris Civilis ratione, eo quod cum iis nihil gestum conveniri non poterant, quæ tamen novæ actiones præter nomen priu-

principalibus distinctum non differunt, in eeteris autem naturam actionis principalis sequuntur, & sic si v. gr. principalis perpetua fuit, etiam hæc talis est, si autem illa temporalis, hæc etiam eodem tempore extinguitur per l. 2. pr. ff. *Quando de pecul. annal. actio. est.*, et si uti amplius dicunt DD. quod tamen adhuc quibusdam dubium videtur, principalis fuit bonæ fidei, eriam hæc adjectitiae qualitatis bonæ fidei erit, contra si principalis stricti juris, hæc etiam talis erit, in hoc se exerit effectus & utilitas hujus disquisitionis, quod hæc actiones tantum sint adjectitiae qualitatis & proinde eodem cum principalibus jure censeri debeant. Has actiones autem omnes Prætor, quicquid alii in contrarium dicant ex necessitate concessit, quia tamen speciales actiones non dabantur contra illos, qui iure Civili stricto ex aliorum contractibus obligati non erant, quicquid alii in contrarium de conditionibus afferant, cum enim hæc sint indefinitæ, omnino utilius visum fuit Prætori actiones ex ipsis contractibus celebratis conta non contrahentes ex voluntate à Lege præsumta introducere. Quod ad concursum harum actionum spectat, id generale obtinet, quod illæ actiones, quæ tendunt ad unum finem, elective, quæ autem ad diversos fines cumulative concurrant,

XXVIII.

Consideravimus hactenus, quomodo quis ex contractu alieno, illorum tamen, qui sub potestate nostra sunt, obligari & conveniri possit. Paucis jam adhuc videbitus, & species quasdam illorum factorum ex-

empli tantum loc recensebimus, quæ à liberis quidem hominibus sunt gesta, aliis tamen non contrahentibus imputantur; ob specialem æquitatem agunt illi, quorum res ob præsens naufragii periculum levanda navis gratia ejectæ, conta illos, quorum merces ob hunc jactum servatae sunt, ad id, ut hi illis damnum pro conservatione navis merciumque acceptum pro rata resarciant, quod maxime obtinet, si res salvatae in navi non amplius extant, & ab iis, ad quos pertinent, jam sint præceptæ; nam si adhuc extent, omnino actione locati contra magistros ad ius retentionis, qua merces ceterorum salvæ usque ad restitutionem damni à ceteris proportionaliter præstandam detineantur, agi posse, non negamus; prioris autem actionis fundatum deducimus ex ipsa Lege 2. pr. ff. b. t. ubi Paulus dicit, æquissimum esse, ut commune detrimentum fiat eorum, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut merces suas salvias habuerint. Hoc autem in casu proposito rebus in potestate magistrorum non amplius existentibus, contra quos sic esset actio inanis, aliter fieri non potest, quam, si damnum passi implorato judicis officio ex hac ipsa L. ejusque æquitate à convectoribus retributionem summario judicio petant. Ex hoc juris principio, quod ab uno vectorum in communione pro salute omnium ad salvandam navim est ejectum, hoc à reliquis pro rata resarcendum per l. s. ff. b. t.

XXIX.

Ad id autem, ut hæc actio rite competit, requiritur, ut ejusmodi fuerint merces, maxima necessitate urgente & ob instantis naufragii metum; de quo an justus sit, & periculum tantum, ut navem sublevari necessarium habeatur, gubernator navis consilio navigantium etiam explorato aestimare debet, deque hac opioione sua urgentibus vesteribus jurandum præstare tenetur, prouti hoc in antiquissimo Teutonum jure *Wisbyensi artic. 20. & 28.* constitutum, præterea quoque exigitur, ut hoc iactures aliorum sint servata, si enim nihilominus navis naufragio periit, nulla debetur contributio, & quod quisque tunc servat sibi servat; l. 7. ff. b. 1. quia cessat ratio Legis, quæ requirit ut per ejactionem unius commodum reliquorum fuerit promotum. Cessat quoque contributio, si res ejusmodi iterum fuerint recuperatae; quia sic cessat dampnum & proinde etiam ratio contribuendi l. 2. §. 7. b. 1. si vero eadem rursus inventæ non sint, non tamen inde præsumendus animus derelinquendi easdem res; quia nemo in necessitatibus liberalis esse videtur, vid. l. 2. §. ult. ff. b. 1. & l. 8. cod. hinc, an fisco tales res occupandi jus competat facilis decisio est; quo nomine laudanda venit constitutio illa *Frid. II. de bonis naufragiorum fisco non vindicandis*; cuius particula habetur in *antib. navigia C. de furo*. ita tamen, ut talia etiam bona ut alia præscriptioni

ptioni statutorum & locorum consuetudine definitæ obnoxia maneat. Non vero in jacturis nauticis solum hæc actio locum haber; sed extenditur etiam ad quæcunque damna terrestria, æquitate suadente, si scilicet quis ad conservandas res aliorum maxime vicinorum vel conterraneorum damnum in suis pañus est; easdem vel plane amittendo, vel etiam deteriorando; quod quidem tempore miserabilis, i. e. belli periculosi & interitum nobis minantis, nec non incendij tempestate accidere videmus, quo casu implorationem officij judicis vel actionem ex hac lege utilem omnino non denegandam esse, statuimus.

XXX.

Restant jam illæ actiones, quæ ob voluntatem specialiter à lege præsumtam ex facto aliorum contra alios tamen dantur; è quibus instar omnium duas præcipue pro nunc in medium proferre lubet; unam, quæ dicitur de receptis; alteram funerariam. Prior est de receptis, qua nautæ, caupones vel stabularij res viatorum recipientes præcipue ad earum restitucionem hospitibus obligantur; vel, si petierint aut deterioratae sint, ad illarum estimationem & damni resarcitionem, non attento, an quædam, vel cujns culpa intervenerit, & à quo res ablata sit; ex sola enim ablatione & ammissione rei tenentur Receptores. Causa imputationis naturalis

ralis quærenda est in eo, quod, cum tales homines ejusmodi professionem & hospitalitatem publice exerceant, tacite etiam hospitibus indemnitatem, quod neque in suis rebus, neque persona ipsis damnum contingat, quamdiu in hospitio illorum commerantur, suæque curæ res non subtrahant; promissæ videantur; & sic ipso receptionis factō se obligent; ex quo sequitur, non requiri, ut res nominatim & speciatim custodiæ cauponis committantur per *L. i. §. fin. h. t.* modo idem caupo generali de rebus hospitis habuerit notitiam; nec hic vel sibi reservaverit, & claves retinuerit, vel mediastino (*Dicit Stalcknecht*) tantum res tradiderit; hinc in ipsa hac actione ab hospite nihil probandum, quam receptio rerum à caupone vel ejus familia facta, deinde earum amissio vel restitutionis dengatio; non autem est, quod culpa quædam cauponis allegetur multo minus probetur, quia idem hoc edictō tantum ex recepto, nulla licet culpa ejus concurrente, tenetur.

XXXI.

Denique de actione funeraria, qua is, qui factū defuncti præstare tenetur, ob erogationem sumtuum funebrium ab altero factam ad eorum restitutionē eroganti obligatur, ultimo loco agendum nobis esse duximus; quod ultimum hoc sit officium, quod honori defuncti pie exhibetur; hoc ipsum tamen etiam sit, quod prævæ hominū cupiditati omnis religionis contemtri ci litigandi ansam præbeat. Quid vero æquius esse potest,

potest, quam, ut ille, vel cui hoc mandatum, vel talis mandato deficiente ipse hæres illum, qui funus suis impensis, sed animo repetendi, quem protestando declarare consultum est, curavit, indeminem reddere; ne hoc officium humanitatis defuncto præstitum ipsi damnolum fiat; modo id modice pro conditione & facultatibus defuncti factum sit; prior enim si mandatarius est obstrictus ex enixa defuncti voluntate & desiderio, quod adimplere atque execui & pium est & decet, eo magis, cum ejusmodi mandatario plenumque, eo nomine, ut hoc faciat, legatum seu emolumumentum sit relictum; quod etiam ipsi si voluntati defuncti non paruerit & satisficerit tanquam indigno est auferendum l. 25. C. de Legat. Hoc autem mandato deficiente, sive nullum adsit, seu istud à mandatario sit neglectum, tunc hæredi necessitas funerandi omnino incumbit; cum enim ad ipsum commodum successionis pertineat sentire etiam debet incommoda, & impium sane esset, illius, cuius bona mihi obvenerunt, osfa insepulta relinquere nec humo recondere velle, hinc quod alter ex officio imperfecto seu humanitatis expendit, id hæres ex obligatione perfecta restituere & factum hoc alienum in se suscipe, re tenetur, id etiam adhuc notamus, quod hæc actio sit privilegiaria; hinc etiam ex dictis ratione patescit, quare in concursu creditorum statim in prima classe post summus Inventarii hæ funeris impensæ collocentur.

XXXII.

XXXII.

Consideratis hactenus obligationibus ex facto alieno licto descendantibus, obligationes ex facto alieno illicito oriundæ sequuntur; examinanda hic nobis se fi-
stent delicta aliena, quorum effectus tamen juridicus in
nos redundat, quo referimus delicta vel bestiae nostræ
vel hominis, & hujus vel filii vel servi, vel etiam liberi
hominis, in quo jam præcipua hujus partis tractatio
consistet.

XXXIII.

Ex' dictis' jam ex alieno delicto ortis obligationi-
bus descendunt actiones contra tertium competen-
tes, sed hic illæ tantum intelligendæ, quæ moventur
civiliter & privatū interesse persequuntur, non crimi-
nales&quæ tendunt ad poenam, uti loquuntur, corporis
afflictivam; hæ enim in alium quam delinquentem ex-
erceri non possunt, adeo ut nec expresse quis pro
alio ad ejusmodi poenam se obligare possit, quo-
niam promissio non est modus delinquendi; civili-
ter autem obligatur dominus ex delicto servi,

XXXIV.

In actione autem 'civili contra dominum ex de-
licto servi competente multum interest, an domi-
nus sciverit & prohibere potuerit, an vero ignora-
verit vel sciens' prohibere non potuerit, posteriori
casu dominus plane non est obligatus, in priori au-
tem si jam detur actio contra dominum, non hoc

E

præ-

præcise eadem intenditur, ut servus noxæ dedatur, sed permitta est domino electio alternativa, an vel æstimationem damni præstare, an servum noxæ dare velit, ex quo etiam noxalis hæc actio appellatur. Sed non est quod pluribus hac de materia disquisamus, cum rarus nisi quoad Turcas captivos hujus actionis sit usus.

XXXV.

Quemadmodum vero jure olim Romano domini ex servorum delictis obligabantur, ita non minor parentum erat obligatio ex delictis filiorum, ex quibus veteres contra patrem dabant actionem noxalem uti. Justinianus scribit in §. ult. f. d. noxal. ad. cuius ratio desumi potest ex illo jure vita & necis parentibus concessso, quod tamen sensim una cum hoc jure noxæ dedendi liberos & ad hoc agendi fuisse abolitum ipse Justinianus iterum testatur in alleg. §. ult. ubi ab usu communi hoc penitus recessisse ait, ubi etiam rationes hujus abolitionis videri possunt.

XXXVI.

Vidimus, quomodo olim apud Romanos domini ex servorum, parentes ex filiorum tenebantur delictis; diximus vero etiam possè quandoque quemdam ex delictis aliorum hominum liberorum obligari, de quo nunc dispiciemus, hic queri solet à Dd. an & quatenus quis ex delicto famuli sui liberi

hominis teneatur & conveniri possit ; si ad supra à
nobis allata fundamenta respiciamus, primo expe-
ditum est, quod si dominus ignoret famulum deli-
quisse non teneatur & plane cesset actio noxalis, si
vero sciverit dominus, impedire tamen non value-
rati, rursus nulli nisi contra ipsum delinquentem actio-
ni locus esse potest, si porro mandaverit dominus,
hic tanquam ex proprio delicto & criminaliter con-
veniri potest, si denique sciverit dominus & non pro-
hibuerit, cum tamen potuisset, & sic connivendo
indulserit, & tunc videndum , an ista conniventia
incidat in speciem mandati taciti, ubi attendendum ad
mores domini, in cuius servitiis vel famulitio famu-
lus fuit constitutus , ad personam in quam delictum
est commissum, an inter dominum & illam perso-
nam quam laesit vel occidit famulus intercesserit in-
imicitia , & qualis ista fuerit an diuturna & à multis
jam seculis continuata, an irreconciliabilis & capitalis,
ex quibus præsumptiones oriri possint , quod omnino
hæc etiam voluntas domini fuerit, & quod famulus
in ejusdem vindictam id fecerit , quibus indiciis &
præsumptionibus concurrentibus in dominum taltem
extraordinarie animadverti ratio suaderet ; & hoc etiam
quidam obtinere existimant, licet ille qui deliquit
non sit de familia , ex quo appareat, nihil speciale hic
esse in famulis, cum etiam si alius liber homo in gra-
tiam alterius delinquat, tamen ille in terminis jam
positis ex mandato quodam tacito teneatur, nisi quis
differentiam adhuc in eo agnoscere vellet, quod faci-
lius in famulis ejusmodi præsumptiones reperiant lo-
cum.

XXXVII.

Maxime agitata interim est hæc controversia, an & quatenus quis sciens alium delinquere nec prohibens, cum tamen posset, teneatur, facultas vero & potestas prohibendinon deducenda solū est ab Imperio quod quis in agentem habet, sed etiam ab aliis modis v.g. vel concessione vel subtractione mediorū, ab ope & consilio alteri scilicet agenti lata, item suasione, nec nō ab intempestiva delisti alterius ad magistratū delatione vel non delatione & quæ sunt alia imputandi fundamenta. Agnovit id ipsum jam olim Cieero, qui aliquando dicere solebat, quod qui injuriam non inhibeat, eum tamen possit, tam sit in culpa quam is qui facit; sed penitus rem considerans statim intelligit hoc Ciceronis dictum non tam crude esse accipiendum, quod simpliciter & semper eadem sit non prohibentis quam agentis culpa, eademq; inde etiam poena; sed hoc cognitioni atque arbitrio prudentis judicis relinquitur, qui ex facultate impediendi, delisti qualitate aliisque circumstantiis statuet & cognoscet, neque enim simpliciter quis patiens aliquid fieri debet obligari, multo minus eadem poena tene ri; hic pertinet *L. 13. §. 1. ff. b. de his qui not. infam.* ubi agitur de patre qui jure patriæ potestatis potest prohibere, quod hinc sit obligatus, idem obtinet in domino non prohibente, uti habetur in *L. 45. pr. de L. aquil.* ubi Paulus dicit, scientiam hic pro patientia accipimus ut, quiprohibere potuit, teneatur, si non fecerit; sed hoc ultra casus in Legē exqressos & ultra actio-

actionem civilem extendendum & generaliter neque
in patre, neque in domino statuendum esse videtur;
ne deterioris conditionis sint, quā alii, cum in omnibus
eadem facultatis prohibendi ratio & obligatio esse
videatur; nisi quod dominus & pater familias facilius
inhibere posse credantur, quod in marito, magistro &
magistratu etiam obtinet.

XXXVIII.

Ex his jam constat, neque dominos ex delictis
famulorum hodie conveniri posse, nisi eadem pro-
hibere vel potuerint vel debuerint, vel, nisi famuli
circa officium & ministerium suum, *in ihrem anbefohlenen Amt* deliquerint; tunc Dominus tenetur per
l. i. pr. & §. 5. ff. d. publican. Sed Jure Saxonico sal-
tem ad quantitatem usque mercedis, quam famulo
debet dominus, uti pronuntiatum M. Martio ad 1628.
à Seabinis Lipsiensibus in causa Melchioris von
Browern: Habet ihr auff ihren Gütern einen Ge-
richtshalter und Verwalter / welcher einer unrecht-
mäßigen Aufsäädung beschuldiget wird / und es
ist derjenige/ dem die Aufsäädung geschehen/ Euch
deshwegen ad interesse zu belangen gemeinet. Dann
nun gleich sonst niemand für des andern / noch
ein Herr vor seines Dieners Begünstigung zu haß-
ten und zu antworten verpflichtet; da aber dennoch
ein Verwalter in seinem Amt und Verrichtung/
dazu er bestellte/ einen Excelts bey der Aufsäädung
begangen hätte/ in welchem Fall auch ex delicto fa-
muli, so weit sich sein Lohn erstreckt / belangen wer-
den mag: ii. So wäret Ihr auch Klägern Red

und Antwort zu geben schuldig. V. R. Q. uti hoc
præjudicium affert *Philippi in usu practico Institut.* h. t.

XXXIX.

Attigimus supra potestatem & facultatem pro-
hibendi , quæ obligationem ex alieno delicto in-
ducere possit , non solum ab imperio in agentem
competente derivandam esse ; sed & à concessione
vel subtractione mediorum , item ab opera vel con-
silio alteri subministrato ; de quibus modis paulo
prolixius agere , forte non abs re erit , ut videamus ,
quantum ad alias alieni delicti reos constituendos va-
leant . Percurremus paucis delicta tam privata , quam
publica ; inter ista primo loco referri solet furtum ,
quod est , uti communiter definiti solet , fraudula-
ta rei alienæ contrectatio invito domino lucri causa
facta . Forma itaque furti est contrectatio , quæ et
iam ab illis facta fingitur , quorum ope vel consilio
furtum factum est , quod quomodo contingat secun-
dum verba & mentem explicat *Ulpianus in L. 1. o. § 2.*
& 3. non solum enim ostendit , quid sit ope
ferre , nimurum ministerium atque adjutorium ad
subripiendas res præbere ; consilium autem dare
videtur , qui persuadet & impellit atque instruit
consilio ad furtum faciendum , utrumque vero , si in-
tentionem spectes , non tam furandi & de delicto
participandi , quod tamen saepius etiam fieri solet ,
quam inimici tantum vexandi gratia fieri posse , do-
cet idem ; conferri etiam hac de re potest *L. 13. §. 2.*
d. V. S. ex qua & hoc patet ista verba *ope & consilio*
olim non conjunctim *sed separatim* fuisse accepta ,
sed

sed pergit *Paulus*: & sane post veterum auctoritatem
 eo per ventum est, ut nemo ope videatur fecisse, nisi &
 consilium malignū habuerit, nec consiliū habuisse no-
 ceat, nisi & factum secutum fuerit; duo exinde rursus
 colligimus, unum ex priori membro, quod in opelata
 semper præsumatur consiliū etiam intervenisse; licet
 non principaliter, tamen minus principaliter, uti expli-
 canda *l. 54. §. 4. b. t.* alterum ex posteriori membro,
 quod consilium non obliget, nisi sit qualificatum,
 occasionem & modum simul ostendens, & nisi ef-
 fectus inde sit secutus, *l. 52. §. 19. b. t.* & in hoc casu,
 quem nos supposuimus, consilium licet efficax, ex-
 traordinarie tamen tantum ob alterius furtum pu-
 nitur. Idem dici potest de illis, qui scientes furem
 & res furtivas celant, arg, *l. 14. C. b. t.* quod scilicet
 propter receptionem illarum rerum furtivarum
 possint conveniri, sed non actione furti poenali,
 quia id singulare ferat constitutum, si quis à ser-
 vo non item à libero homine furtim ablata suscep-
 perit; ex hac differentia ratione, quod in dicto ca-
 su etiam servi corruptio veniat attendenda arg. *l. 1.*
ff. de serv. corrupt. Par ratio etiam est illorum, qui
 res furtivas emunt; hi enim etiam ex alieno furto
 tenentur ad id, ut priusquam in domini manus re-
 dierit res furtiva, non possit uscapi, sed semper à
 domino sine refusione pretij vindicari per *l. 12. C.*
b. t. Ad delicta privata etiam pertinet injuria,
 quæ est crimen in alterius contumeliam dolo ma-
 lo cum animo injuriæ facienda admissum, ubi ad no-
 strum scopum ille supra jam memoratus casus spe-
 ctat, si quis injuriam patienti non subvenit, cum
 tamen

tamen subvenire & potuerit & debuerit, sed hic longius non immorabitur, potius jam ad id properantes, quomodo scil. & quando quis etiam ex hoc solo, quod conscientius sit criminis, possit conveniri.

X L.

Et sic ordine ferimur ad delicta publica , de quibus valeat, quod modo diximus , quod quandoque etiam ex sola delicti alieni conscientia adversus alium oriri possit obligatio ; & , quemadmodum haec in civilibus actionibus ad interesse civile tendit, ita ex delictis aliorum publicis ad interesse quoque publicum , & ad poenam publice subeundam, idque in atrocoribns tantum delictis specialiter constitutum esse reperimus; inter qua primum omnino locum obtinet crimen perduellionis ex *L. Julia Majestate* vindicari solitum , cum quis hostili animo aduersus Principem, vel in ipsam rempubl. aliquid ad ejusdem eversionem molitur , cuius poena est mors, confiscatio bonorum , & memorie post mortem damnatio ; imo poena hujus criminis se etiam extendet ad filios, qui parentum & proximorum haereditate privantur, ex testamentis extraneorum nihil capere possunt, ab omnibus honoribus exclusi infamiam incurront, cum in ipsis paterni, hoc est, haereditarii criminis exempla metuantur; punitur porro sola pro reo hujus criminis supplicatio , dum supplicant Lex infamia notat ; haec etiam ipsa nec filias ejusmodi perduellis, quae tamen minus ausuræ creduntur, impunitas relinquit; sed solam ex bonis maternis Falidia detractionem , ut inde habeant mediocrem faltem

saltem alimoniam, non ipsum emolumētū & nomen
 hēreditis concedit, item omnes emancipationes, dotes,
 donationes aliarumq; rerum alienationes post cogita-
 tum ejusmodi facinus seu jure seu fraude factas nul-
 las declarat; uxores recuperata dote etiam ususfru-
 ctū omnium rerum liberis alias competentium pri-
 vat, easdem fisco addicendo, indices hujus con-
 junctionis p̄m̄io afficiuntur, denique, quod ad nos
 maxime attinet, satellites atque ministri ex eo solum,
 quod criminis ab alio commissi fuerint consciī, ad
 poenam obligantur, uti expresse statutum in l. 5. C.
 ad l. Jul. majest. §. 6. ubi dicitur: id, quod de p̄-
 dictis eorumq; filiis cavimus etiam de satellitibus con-
 sciis ac ministris, filiisque eorum simili severitate
 censemus. Ratio hujus dispositionis quod crimen
 quandoque non indicare, p̄s̄ertim istiusmodi atro-
 cissimum, quod ad eversionem Reipublicā tendit,
 ipsum etiam crimen habeatur, & imputari omnino
 possit ei, quod, qui sua delatione istud facinus forte
 prohibere &, ne effectus sequeretur, cavere potuſ-
 set, hoc intempestivo silentio suo neglexerit, & sic
 per indirectum causam & occasionem delicto per-
 petrando p̄buerit; quare etiam merito talem ho-
 minem criminis conciū ad poenam teneri Leges
 censuerunt, & hoc non tantum in criminē perduel-
 lionis, sed etiam læsā majestatis in specie sic dictæ
 obtinet per l. i. C. de fals. monet.

XL.

Idem ab Vlpiano in l. 5. ff. ad l. Pompej. d. Par-
 ricid. circa concios parricidii dispositum legitur, ubi
 F. Juris

JurisConsultus ita dicit: utrum qui occiderunt parentes, an etiam consci poena parricidii afficiantur, quare potest? Et ait *Macianus*, etiam conseios eadem poena affliendos, non solum parricidas; proinde consci etiam extranei eadem poena afficiendi sunt; idque ob eandem rationem, quod nefarium reputatur, scientiam hujus criminis perpetrandi habere, nec filios ab hac impietate absterrere velle, ejusque effectum impedire; vel, si id in postestate eorum non sit, eorum doltus tamen in reticendo & non revelando ejusmodi crimine & neglecta magistratui ad inquirendum facienda denuntiatione merito severe puniendus est. Huic par fere vel magius crimen estimatur raptus Virginum sanctimonialium; quod hoc delictum non solum ad injuriam hominum, sed & ad ipsius omnipotentis Dei irreverentiam comittatur, uti *Justinianus* ait in l. 54. C.d. Episc. & Cleric. quare etiam in d.l. eadem capitalis scil. poena in hujus etiam delicti conscos est, statuta, & non solum in hos, sed etiam in ministros, suscepentes raptorum, eisdemve opem ferentes; & quidem, ut haec poena sine omni sexus discrimine obtinere debat, sive masculi sint, sive foeminae; quod ea propter constitutum reperimus, cum alias foeminae forte ignorantia juris pretendere possint, quod nesciverint, se ex conscientia criminis ad illud revelandum esse obligatas; sed simpliciter hac generali sanctione omnes ad facinus magistratui deferendum obstringere Legislator ut potuit, ita voluit.

XLII.

A consideratione delictorum alterius liberi homini-

minis nobis imputari solitorum transimus jam ad de-
licta bestiæ nostræ , seu ad damna à brutis , quæ nostro
dominio subsunt , data , quatenus dominus illorum ex-
inde obligetur , examinaturi . Constat de brutis propriæ
seu formaliter dici non posse , quod delinquent ; sed
materialiter & hoc modo ad abolendam sceleris me-
moriā aliquando fieri possunt objecta penæ , uti
videmus in crimine Sodomiæ cum brutis commissio ,
ubi bruta fere semper cum homine solent comburi-
ne existet nefandi hujus criminis memoria , sed sicuti
per similitudinem animalia dicuntur esse perita juris
naturalis , cum per instinctum naturalem id agant ,
quo sua natura feruntur pr. J. de Jur. Natural. G. & C.
In genere vero ratio actionis quadrupedariae omnis
consistit in æquitate naturali , quæ cum expresse præ-
cipiat , ut alter non ledatur , simul etiam vult , ut
damna ex laſione data sarciantur ; cum vero damna
homini inferantur non tantum ab homine , sed etiam
à bestiis , quæ in hominis sunt dominio ; etiam hoc
damnorum genus laſis resarciri vult æquitas , sed
brutum ipsum cum ex suo facto obligari non possit
civiliter ut membrum societatis civilis , nec ad dam-
num restituendum obstringi actione quadam contra
bruta competente , quod absurdum nemo sanæ mentis
statuet ; quilibet civium tenetur ex Lege societatis
sive per se per ea , quæ in sua habet potestate , sive
sint homines , seu organa domestica animata , quic-
quam damni dare singulis aut universis ; & si quod
datum , redintegrare , atque ad æqualitatem socie-
tati proportionatam reducere , uti recte philosopha-
tur Schiller in Exercit. ad ff. b. t.

XLIII.

Ad id autem , ut hæc actio rite competit ;
quatuor in jure requiruntur (1.) ut bestia paupe-
riem faciens sit quadrupes , & pecudum numero ;
inde enim vocatur *quadrupedaria* ; & hinc nascitur
etiam actio directa , si vero bipes , ut animal quod
gregatim non pascitur , nocuerit , cessat directa &
utilis tantum locum habet ; *L. pennul. ff. b. t.* (2.) ut
animal nocuerit contra naturam ; nam , si secun-
dum naturam suam damnum intulit , vel datur
actio contra dominum ad illud simpliciter resarc-
endum , vel ad poenam civilem ex æditio edicto
subeundam per *L. 42. ff. d. ædit. edict.* vel ad extraor-
dinariam v. *Ord. Crim. art. 136.* si dominus animal
perperam custodierit , (3) ut animal nocens in al-
terius dominio & mansuetum sit ; nam si fera bestia
etiam non libera , sed diligenter custodita , eva-
rit , & tunc nocuerit , dominus non poterit con-
veniri , quia definit dominus esse , ubi fera evasit ,
uti dicit *Ulpianus* in *L. I. §. 10. ff. b. t.* (4.) deni-
que exigitur , ut animal nocuerit proprio motu ,
sine hominis culpa , vel instigatione alterius ; nam ,
si tertii culpa intervenit , contra illum datur actio ;
suae enim tunc negligentiae adscribat , quod non cir-
cumspectius sibi caverit ; hisce jam requisitis con-
currentibus datur actio hæc quadrupedaria læso &
ei cuius interest *L. 2. ff. b. t.* adversus dominum ani-
malis , ad id , ut vel damnum resarciat , vel ani-
mal noxæ dedat . Nos autem hic filum abrumpimus ,

&

— (47.) —

& Deo gratiis pro concessis haec tenus viribus actis, annexa imploratione pro ulteriori in studiis in sui Numinis honorem & proximi utilitatem dirigendis assistentia hic facimus

F I N E M.

COROLLARIA.

I.

In Jure Publico etiam se ejusmodi obligatio facti alieni exerit & quidem in jure Primogenitura per Testamenum introducto, quo secundo geniti hanc Successionem in suum licet prejudicium tendentem ob salutem tamen publicam approbare, Principatum Primogenito cedere, & Apanagio vel Parrhagio contenti esse debent.

II.

Jure Canonico talis obligatio ex facto alieno etiam dici potest illa, qua ad electionem à majori Capituli parte factam reliqui Capitulares, modo eligendus nullo eligibilitatis viuo laborei, confirmandam obstrinquentur.

III.

Ex Juri Feudali dispositione delictum paternum sive Felonia à patre commissa occasio esse solet, quod liberi à successione in Feudo arcentur.

Ascen-

A Scende, V E I E L I , perita pulpita,
Honoris ad fastigium :
Et VLMA Te ad forense culmen evehet,
Solis quod est merentibus.

Ita votet

Marcus Tobias von Neubronner/
Patric. Vlm. Opp.

Purpureas edit violas matricula Veris,
Aft illas subito mors violenta rapit.
Vis Hyemis violam, VEIELI, gignit amœnam,
Cujus vita din , semper odorque manet.

*Ita
Vaticinatur*

M. Georgius Litzel, Vlmensis,
Poët. Cæl. & SS. Theol. St.



Nobilissimo ac Eruditissimo Domino
ELIAE VEIELIO J. V. C.

S. T. D.

Facultatis Juridicæ Senior
ac p. t. Decanus,

JO. HENR. FELTZ, D. PP.

Um primum me compellares, atque non
men tuum familiamque indicares;
statim in memoriam reddit honor, quem
Celeberrimus Avus Tuus exhibuit Uni-
versitati nostra, dum in ea præcipue studia sua Theo-
logica tractare, atque gradum in iis Doctoralem
consequi instituit. Postquam autem, Te summos in
Jurisprudentia honores etiam hic ambire, significa-
res; iam haud sine voluptate conjeci, & Avum tuum,
Theologum, & Patremi tidem Theologum benevolam
apud Te sèpius Academia nostra mentionem fecisse Ce-
terum non poteram non statim persuaderi, eundem in
Te ardorem discendi viginisse; adeoq; pares Te in Tuo
studio profectus comparasse. Nec me fessellit opinio, in
examinibus enim ita laudabiliter Te exhibuisti, ut cum

X

applau-

applausu Collegarum decretum honorificum differen-
di pro Licentia sine Praeſide obtineres. Cum inde de ar-
gumento in hunc finem electo mihi mentem tuam ape-
rires, non potui non illud approbare. Verum, quam
ampla sit hac materia, per omnes Jurisprudenciae
partes diffusa, statim repreſentavi. Et optaſſem qui-
dem, ut tempus Tibi ſuppetiijſſet, eam pro amplitudine
ſua elaborandi; verum, cum moram hic ulteriorem res
tuas haud ferre intelligerem, ipſe consului, ut poſitiones
tantum de ea conſignares, plenam tractationem com-
modiori occaſione rerefaturus. Sicui autem nullus du-
bito, quin ex paucis, que conſignasti, idonei hac irreju-
dices ex ungue leonem ſint agituri; ita plane confido, Te
ſtrenue, que poſuisti, defenſurum; atque, quod reli-
quum eſt, egregiorum ſtudiorum egregia Tibi præmia
animo integerrimo adprecor. Vale, ac venerandem Se-
nem, Dominum Schuvederum, ampliſſimosq; ejusden-
Dominos Collegas, ubi Tubingam in reditu veneſeris
plurimum ex parte Collegii noſtri ſalvere ac valere ju-
be. Scribebam Argentorati d. V. Dec. cl 10cc xxiv

Straßburg, Diss., 1723-39

ULB Halle
002 491 648

3



4
Sb.



L. D. B. V. 1, 478. 8
THESES JURIDICÆ INAUGURALES /
DE 2029
OBLIGATIO-
NIBUS EX FACTO
ALIENO 1724, 3.
Quas
PRÆSIDE
DEO Ter Optimo Maximo
Decreto atque Autoritate
Magnifici & Amplissimi JCtorum
Ordinis in Regia Argentoratensis
Universitate
PRO LICENTIA
Summos in utroque Jure Honores & Privilegia
Doctoralia legitiime consequendi
Publico Eruditorum Examini
submittit
ELIAS VEIEL, Ulmensis.
d. VII. Decembr. A. O. R. M DCC XXIV.
H. L. Q. C.
ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.